

nec comedunt, in quo murem mori continget, vel de quo canis comedit, nisi prius fuerit a suo Presbytero benedictum: et qui aliter facit, a Christianitate efficitur alienus. Et si quis eorum quocunque casu hominem occidit, pro eo nec pecuniam, nec benedictionem accipit; imo homicidium apud eos pro nihilo reputatur. Crucem in tanta habent reuerentia, quod pauperes siue indigenae siue aduenae, qui multitudinem secum habere non possunt, si crucem qualemcunque super hastam cum vexillo posuerint, et eleuatum portauerint, tam inter Christianos quam inter Paganos, omni tempore secure incedunt. De loco illo *Fratres* societatem habere non poterant procedendi, propter timorem *Tartarorum* *), qui dicebantur esse vicini. Propter quod, duobus ex ipsis reuertentibus, reliquis duobus perseverantibus in eadem terra, in penuria maxima sex mensibus sunt morati. Intra quos nec panem, nec potum praeter aquam habebant. Sed vnus *Frater*, Sacerdos, coclearia et quaedam alia praeparauit, pro quibus aliquando parum de milio receperunt, de quo non nisi tenuiter nimis poterant sustentari. Vnde decreuerunt, duos ex se vendere, quorum pretio alii coeptum iter perficerent: sed non inuenerunt emptores, quia arare et molere nesciuerunt. Vnde necessitate coacti, duo ex eis, de illis partibus versus VNGARIAM redierunt, alii vero remanserunt ibidem, nolentes desistere ab itinere inchoato. Tandem ipsi habita quorundam Paganorum societate iter arripientes, per deserti solitudinem triginta septem diebus continuo iuerunt. Intra quos viginti duobus panibus subcinericiis vsi sunt, adeo paruis, quod in quinque diebus potuissent, et non ad satietatem, totaliter comedisse. Vnde *Frater*, qui sanus quidem,

*) Irruperunt in Hungariam A. 1242. eamque triennio integro vastarunt: v. *Bonfin.* in gest. Belae IV. et *Rogerium* Varadinensem in Hung. Canonium eo tempore, in Epistola super destructione Hungariae, quae est *Scriptr. rer. Hungar. Schwandtneri* T. I. p. 292. sequ.